DE FEBRE INTERMITTENTE TRAUMATICA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE OBTINENDIS
DIE XVIII. MENS. APRILIS A. MDCCCXXVIII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

CAROLUS ADOLPHUS OTTH
BERNAS-HELVETIUS.

OPPONENTIBUS:
L. MANKIEWICZ, DR. MED. ET CHIR.
H. TOGGENBURG, DR. MED. ET CHIR.
R. KNAPP, CAND. MED.

BEROLINI, TYPIS JORDANIANIS.

VIRO

DOCTISSIMO EXPERIENTISSIMO

ILLUSTRISSIMO

C. R. W. WIEDEMANN

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICINAE ET HISTORIAE NATURALIS PROFESSORI PUBL. ORD., INSTITUTI CLINICI OBSTETRICII KILONENSIS DIRECTORI, DANORUM REGI A CONSILIIS IUSTICIAE, SOCIETATUM LITTERAR. COMPLURIUM SODALI ETC. ETC.

AVUNCULO DILECTISSIMO ET

PRAECEPTORI

HASCE

STUDIORUM MEDICORUM PRIMITIAS

PIA GRATAQUE MENTE

D. D. D.

AUCTOR.

Parum prodesse videtur, si morbus peritissimis auctoribus pertractatus et in plurimis compendiis prolixe expositus ad dissertationem conscribendam eligatur. Medicus enim juvenis, exigua munitus experientia, qui talem dissertationem profert in lucem, suspicionem movebit, se vel auctores de illo morbo locutos ignorare, vel suum opus reliquis praeferre, vel denique materiem, ex aliis auctoribus, publico iudicio confirmatis compilatam specimini propriis viribus exarato anteponere. Eiusmodi dissertatio, etsi minimi pretii, tamen permultorum desideriis arridet, qui, aliena sibi vindicantes, absque studio et labore concinnare aliquid cupiant, quod ex parte saltem absolutum videatur. Saepissime nimirum accidit, ut istae dissertationes modo ab iis legantur, qui iudicium sunt de iis laturi. Sola earum utilitas in eo cernitur, ut opera scriptorum de eadem materie disserentium passim laudentur, itaque index librorum exhibeatur, quos de certo morbi genere evolvere possis.

Parum modestus videbor, quod, ipse dissertationem in lucem editurus, tanta severitate alias diiudicaverim; excusationem vero in eo me habiturum opinor, quod mirari oportet, permultos, tanta rerum medicarum parum cognitarum, immo novarum, aut nondum elaboratarum ubertate, operam in describendis morbis iam dudum bene expositis collocare. Quod equidem exhibebo opusculum, qualecunque id potissimum molitur, ut animi medicorum peritiorum et eruditiorum ad morbum gravem, nec dum in ullo libro a me repertum, qui permultos iamiam homines interemit et omnibus hucusque medendi methodis pertinacissime restitit, attendantur. Certe operae pretium est, ut huius morbi indoles pervestigetur, quamquam difficile hoc negotium sagaciorem atque peritiorem medicum potius deceret, quam iuvenem experientia destitutum et immaturi forsan iudicii. Sperans tamen, fore, ut medici indulgentes hocce tentamen, interpositis suis sententiis, illustrent, primitias hasce, quamquam pavido animo, proferre non dubitavi.

Quo nomine morbum describendum designem, dubius haereo. Apud nos (Bernae) symptomatis pathognomonici causa vulgo Horrores (Fröste) vocatur, quae denominatio generalis nimis ampla, eamque ob rem, quae in pathologiam recipiatur, indigna est. Observationes a me ipso ad aegrotantium lectulos factae, febris intermittentis traumaticae nomen commodissimum esse, mihi persuadent. Hunc morbum ter modo observavi in nosocomio Bernensi,

Insula dicto, quod per semestria duo auspiciis virorum illustrissimorum atque peritissimorum Tribolet et Isenschmidt frequentavi. Minime rarus occurrit hic morbus in nosocomiis nostris, nonnullis scilicet quotannis eo laborantibus; nihilominus eius indoles curaque tam ambiguae sunt, ut nemo adhuc, nisi morte, eo sit liberatus. Neutiquam vero medici, tot funestis exemplis moniti, medendi methodum priori contrariam experti sunt, quae, etiamsi faustiore eventu destituatur, tamen rebus desperatis experimentum non respuit, cum novam certe lucem, etsi forte negativam, quod minime crediderim, affundat.

Ita versabor, ut primo de tribus aegrotis, quos observavi, referam, nec minus cadaverum sectiones describam; deinde sententiam meam de morbi indole et de medendi methodo adhibenda modeste subiiciam.

Observatio I.

Vir quinquaginta annorum hydroceles causa nosocomium adierat habituque robusto praeditus operationem radicalem feliciter sustinuerat. Tres per hebdomades ab operatione nil nisi dolorem levem rheumaticum surarum et tussim exiguam catarrhalem conquerebatur. Vulnus cicatricula fere inducta optimam exhibebat speciem. Nocte, quae intercessit decimam et undecimam diem mensis Martis 1825, subito aegrotus horrore vehemente conquassante corripiebatur, qui, per horae dimidium moratus, in sudorem profusum transibat. Inter paroxysmum dolores surarum intolerabiles fere erant. Hora undecima matutina pulsus naturali vix frequentior, fortis interdum intermittebat. Aegrotus pusillanimitate laborabat, linguae radix albo obducta tegmento, surarum dolores adhuc vehementes, appetentia ciborum nulla erat.

Imperata sunt:

Rc. rad. valerianae unc. unam
f. c. aquae ferv. inf. libr. unius
naphtae vitrioli drachm. dimidiam
tinct. opii simpl. scrup. duos
M. D. S. alternis horis 2 cochlearia maiora hauriantur.

Post meridiem paroxysmus iterabatur, horror tamen multo levior erat. Hora sexta vespertina pulsus irregularis, nunc celerior, nunc tardior, cutis calida, sicca, dolores rheumatici unius solummodo surae observabantur. Nocte sequente paroxysmus redibat similisque quartus post meridiem apparebat. Hora sexta vespertina sudor adhuc profusus, pulsus frequens, mollis, regularis, facies valde mutata. Tertia nocte paroxysmus quintus idemque ultimus apparebat. Hora secunda pomeridiana aegrotus sopore opprimebatur, oculi languidi et semi-clausi ita distorti erant, ut sclerotica tantum cerneretur, os apertum, respiratio lenta, brevis, saepe intermittens, pulsus frequentissimus, haud vero debilis, omne corpus sudore tectum, vulnus scroti eadem die paululo pallidius inveniebatur; hora tertia pomeridiana aegrotus exspirabat.

Cadaveris sectio.

Hepar maximum, solito paulo pallidius, passim flavescens, pulmones collapsi, laxi, maculati, sanguine atro impleti, reliqua viscera integra apparebant. Inter

ossa cranii et duram matrem paululum sanguinis atri extravasati, atque inter duram matrem et membranam arachnoideam plures unciae seri rubentis inveniebantur. Durae matris sinus, vasa piae matris et ventriculorum lateralium cerebri sanguine turgescebant, plexus choroidei naturales erant.

Epicrisis.

Cerebrum sanguine repletum et seri exsudatio certe causam mortis suppeditabant, quamquam inflammationis gravioris symptomata nulla, nisi sopor brevi ante mortem tempore superveniens, adfuerant. Ceterum nec inanitio, nec alind symptoma lethiferum observabantur. Surarum dolores et eorum incrementum, vigente paroxysmo primo, tussis catarrhalis, lectus non procul a fenestra locatus, cubiculum, ut dicebatur humidum, aëris constitutio catarrhalis et defectus aliarum causarum occasionalium multis persuadebant, hunc morbum fuisse inflammationis metastasin effectumque cuiusdam affectionis rheumatico-catarrhalís, quae suppurationem vulneris interpellaverit.

Observatio II.

Viri triginta sex annorum constitutio infirma et ad arthritidem opportuna erat. Die quarta mens. Martis 1825 propter fracturam ossis femoris, nunc retentione, nunc incontinentia urinae pressus, noso-

comii implorabat auxilium. Praeter fracturam nonnullaque symptomata gastrica, quae facile removebantur, aegrotus usque ad noctem decimam octavam mens. Martis nil querebatur, hoc autem tempore elapso horrore vehemente conquassante corripiebatur, qui post horae dimidium in calorem praesertim caput infestantem, haudquaquam vero in sudorem abiit. Cum postridie circa horam octavam matutinam propter urinae retentionem catheter applicaretur, sub operatione horror priori similis apparebat, quem tremor artuum, calor siccitasque cutis sequebantur. Pulsus frequentissimus, suppressus, minimus, oculi lacrymantes atque splendidi erant. Pusillanimitas quae timebatur, aberat, aegrotusque nihil querebatur. Cum paroxysmi, ut in priori exemplo, typum intermittentem offerrent, aegroto alternis horis grana duo Chinini sulphurici propinabantur. Sub horam decimam pulsus frequens, mollis, undulans, cutis multo calidior, quam inter paroxysmum, sed etiamnum sicca. Hora tertia pomeridiana pulsus frequens, maior, respiratio anxia, sitis ardens, appetitus ciborum parum diminutus. Hora sexta vespertina pulsus lentus, durus, lingua albida, cutis calida, aegrotus inquietus, doloribus vesicae urinariae et femorum affectus, totam per noctem somno carebat, dolores utriusque lateris sentiebat tussique antea sicca mox paululum sanguinis eructabat. Die vicesima mens. Martis circa horam nonam matutinam pulsus frequens, parvus, lingua sicca, dolor praesertim lateris dextri

fixus circa marginem costarum spuriarum, respiratio brevis. Loco dolenti emplastrum vesicatorium applicabatur, quod brevi dolorem leviorem et intermittentem reddidit. Inde a die praeterita grana quindecim Chinini sulphurici aegrotus hauserat. Hora tertia pomeridiana pulsus frequentior sed mollior maiorque, sputa parciora, sed adhuc cruenta, tussis exigua, rara, respiratio brevis, accelerata, dolor saepe intermittens. Die vicesima prima mens. Martis hora octava matutina pulsus vermicularis, sputa admodum cruenta, inspiratio brevis alta, exspiratio lenta suspiriosa, oculi rubentes, nares et lingua siccae, dentes nigri squalidi, facies Hippocratica, flava. Sub horam decimam, pulsu irregulari, nunc magno, nunc parvo, aegrotus medicis interrogantibus non amplius responsa dabat, neque sputa eiiciebat, oculi sursum versi, languidi, respiratio pedetentim tardior atque rarior apparebant; hora sexta vespertina aeger exspirabat.

Sectio cadaveris.

Inventa est fractura obliqua, comminuta, ossis fragmenta puris immensi quantitate circumfusa, in intestino coeco sugillationes, pariter ac in vesica urinaria et in peritoneo. Saccus pleurae dexter magna seri turbidi mole, flocculis albis mixti repletus erat. Pleura costarum ex rubro subnigra, pulmo dexter laxus, collapsus, membrana albida flocculenta lympham plasticam aemulante obductus, pulmonum pa-

renchyma pluribus locis ulceratione destructum. Hepar pallidum, reliqua viscera integra.

Epicrisis.

Febris viginti quatuor horas tenuerat, priusquam inflammationis symptomata supervenirent, post quadraginta octo horas inflammatio iam in suppurationem et exsudationem profusam abierat, ingentesque pulmonum destructiones excitaverat. Usu Chinini sulphurici haud dubie paroxysmi febris coercebantur, et inflammatio manifesta, sputa cruenta, tussis, dolores locales methodum antiphlogisticam, certe venaesectionem reposcebant, quae adhibita, febre iam depulsa, pulmonum inflammationem forsan sustulisset, aut certe cursum eius retardasset. Similitudo paroxysmorum cum febre intermittente usum Chinini sulphurici expostulabat, sed febre sublata a medicamento adeo incitante citissime abstinendum erat, ne inflammatio augeretur. Causae occasionales huius morbi multo minus sunt cognitae, quam priori in casu, quam ob rem non penitius in eas inquiram.

Observatio III.

Juvenis viginti annorum die vicesima mens. Junii 1825 ob fracturam tibiae et fibulae obliquam, complicatam cum vulnere magno et contuso, ad nosocomium delatus erat. Causam fracturae suppeditaverat lapsus

ex altitudine viginti quinque pedum. A vulnere incisio facta est usque ad tibiae fracturam, ita ut circiter duo pollices lateris interni tibiae denudati apparerent. Extremitas fracta multo brevior erat altera, et propter fracturae obliquitatem fragmentum superius pone inferius dimotum erat. Extensio magnae aegroti sensibilitatis causa difficillima eique dolorificentissima erat, quam ob rem fomentationes ex aqua frigida paratae administrabantur. Febris vulneraria vehemens brevi tempore medicamentis cedebat. Die quarta mens. Julii hora septima vespertina horrore vehementissimo, quartam horae partem tenente aegrotus corripiebatur, quem calor cutis siccus sequebatur; suppuratio postridie profusa erat, doloresque lacerantes, imprimis quum fracturae fines denuo committerentur. Tota extremitas tumescebat, eiusque cutis tensa, calidissima, febris vehemens, pulsus celer, plenus, sitis ardens, excretio alvi cohibita erant. Die quinta mensis Jul. horror priori similis apparebat. Imperabatur infusum radicis Serpentariae cum aethere acetico et Laudano liquido Sydenhami. Diei nonae mens. Jul. totam noctem aegrotus irrequietus degebat et hora nona matutina responsa dabat fatua, labiorum motus convulsivos, linguam siccam, apice fusco, cutem calidam aridamque offerebat. Eodem die alvus quater liquida reddidit, urina ruberrima fuit. Hora septima vespertina eiusdem diei pulsus celerrimus, plenus, tensus, symptomata nervosa fere nulla, sitis ardens exstiterunt. Totam per noctem diei undecimae mens.

Jul. deliria vehementia adfuerunt, facies mutata, lingua nigra, humida, dentes nigri, respiratio brevis, accelerata, irregularis, cutis calida, facies et extremitates convulsionibus levibus motae, pulsus frequentissimus, mollis, parvus, venter dolens, praesertim tactu adhibito, mens turbata apparuerunt. Hora tertia pomeridiana aegrotus animam efflavit.

Sectio cadaveris.

Juxta totam tibiam magnae fistulae inter se commercium habentes inveniebantur, quarum suppuratio die funebri demum diminuebatur. Hepar naturali maius erat. Pulmo dexter pleurae costarum per exsudationem membranaceam adhaerebat. Pleurae vasa sanguine turgescebant. Pulmonis parenchyma parte posteriore superiore in substantiam tuberculosam sordido-flavam transmutatum erat, quae quidem aequabilior molliorque erat, quam in phthisi tuberculosa solet. Reliqua pulmonis dextri pars, naturali colore fuscior, digitis pressa liquorem furvum, ichorosum, foetidissimum sanguineque mixtum edebat. Pulmo sinister minus pleurae costarum adhaerebat saccusque huius lateris sero sanguinolento repletus erat. Parenchyma pulmonis sinistri minus tuberculosum, humor eo expressus spumosus, minus foeditus erat.

Epicrisis.

Hoc in casu, focum inflammationis pulmones continere, nullo symptomate, nisi respiratione brevi irre-

gularique inter ultimas vitae horas coniici potuit, deliriis convulsionibusque nobis persuadentibus, cerebrum affectum esse. Propter mentis alienationem vero inter supremos morbi dies aegrotus forsitan dolores aliasque molestias vel non sentiebat, vel interrogatus evidenter describere nequibat. Forsan quoque dolores abdominis, quos conquestus est, pneumoniae symptoma exhibebant. Sed procul dubio symptomata nervosa ab inflammatoriis pendebant, nec methodum antiphlogisticam maxime necessariam arcere debebant. Infusum radicis Serpentariae sexies reiteratum certe inflammationis cursum acceleravit, minime supprimere eam potuit. Verisimile est, medicos, qui hunc morbum ceu desperatum multis exemplis funestis noverant, aegrotum venaesectionibus multisque aliis medicamentis torquere noluisse. Attamen bene persuasum habeo, curam intense antiphlogisticam longe alium morbi eventum adduxisse, et experientia tantum huius opinionis contrarium mihi persuadebit.

Propositis tribus morbi historiis, e symptomatibus, quae sunt pathognomonica, morbi imaginem concinnare tentabo, quod difficilius est propter magnam symptomatum mutabilitatem, quam imaginem observationibus iteratis summaque diligentia institutis notatisque corrigendam atque consummandam esse, certo certius constat, nec ipse diffiteor, has observationes nimis imperfectas non plane satisfacere scopo, quem habeo praefixum,

fixum, sed modo novitatis causa esse notatas. Infra de prognosi, aetiologia curaque nonnulla dicam, quae, an medelae respectu magni pretii futura sint, nescio, quum experientia tantum negativa commonstret, curaeque methodus a me proposita nullis adhuc experimentis sit confirmata.

Imago morbi.

Laesio quaedam causis externis orta, vulnus vel fractura etc., quae inflammationem plus minusve intensam effecit cursuque normali ad redintegrationem valetudinis processit, causis occasionalibus externis deficientibus, in valetudinis gradu, quem obtinuit, subito detinetur, simulque febris intermittens apparet, cuius paroxysmi typum plus minusve irregularem, sed saepius quotidianae duplicatae sequuntur, et (quod paroxysmus secundus in observatione II probare videtur) incitamento externo suscitari possunt. Paroxysmus primus absque antesignanis horrore vehementissimo, conquassante, quartam horae, vel dimidiam partem tenente incipit, qui aut in sudorem profusum, aut in aestum terminatur, quem, plures per horas protractum, sitis ardens comitatur. Interdum calor pulsusque frequens, febrilis praeter paroxysmos quoque perstant, ita ut febris remittens tum dici queat. Simul cum febre in organo quodam nobiliore, a laeso magis minusve distante inflammatio ingens, multo rapidior inflammationibus idiopathicis, exoritur, cuius stadium initii interdum doloribus localibus, tum de-

mum apparentibus, cognosci potest, cuius autem sedes, symptomatibus, haud notata, saepe post mortem tantum invenitur. Si cerebrum obsidet inflammatio, congestionis ad cerebrum symptomata, praecipue soporem, si pulmones, pneumoniae aut pleuritidis criteria, praesertim dolorem fixum in latere pectoris, respirationem impeditam, tussim, sputa sanguine mixta nonnunquam observamus. Urina semper rubicunda apparet. Haud raro febre procedente symptomata nervosa, mentis alienatio, deliria, convulsiones etc. apparent, quae facile typhi, minime febris inflammatoriae suspicionem movent. Aegroti mens adeo turbatur, ut disertis verbis aegrotationem describere nequeat. Medici sagacis igitur est, focum inflammationis explorare, quae neglecta rapidissime in exulcerationem vel in exsudationem, paucisque diebus in mortem abit. Mors aliter ac in febribus intermittentibus perniciosis, non inter paroxysmum per apoplexiam, sed paulatim inducitur. Secto cadavere semper desorganisationes, exulcerationes aut exsudationes in organorum nobiliorum aliquo, saepius in pulmonibus, interdum in cerebro, omni suspicione, quoad inflammationis gradum et exitum, multo maiores invenimus.

Aetiologia.

Febribus mere nervosis adnumerandum esse hunc morbum, medici hucusque censuerunt, quia, quod negari nequit, saepissime symptomata nervosa exstant,

sed longe saepius symptomata inflammatoria eminent, et nonnunquam localis affectio inflammationis focum notat. Praeterea sectiones corporum hoc morbo per, emtorum, nec minus effectus perniciosi medicamentorum nervinorum excitantium omnem dimitti dubitationem iubent, huiusce morbi indolem esse inflammatoriam, symptomata nervosa autem secundaria. Ad illustrandam morbi indolem aptamque medelam comparandam maximi est momenti, ut causa proxima innotescat, quae internam inflammationem efficiat et cum febre intermittente tam maligna consociet.

Ante omnia luculenter apparet, tres morbi historias enarratas quoad causam proximam maxime discrepare. Primo in casu morbus chronicus, iam longum per tempus protractus (nempe hydrocele) operatione erat sublatus, et vulnere fere clauso febris intermittens incursabat. Reliquis in casibus nullus antecessit morbus, sed causa mechanica fortuita, nimirum fractura ossis complicata, ingentem efficiens inflammationem suppurationemque, homines prostraverat, et suppurationi haud turbatae febris perniciosa supervenerat. Effata quaedam Illustrissimi Rust, quas in scholis clinicis nobiscum communicavit, causam primi casus probabilem me rationari iusserunt. Observavit enim saepius eventum funestum exstirpationis steatomatum, praesertim, si plura adessent, si iam diutius exstitissent eoque modo in organismi consuetudinem adducta essent. Ceteroquin aegroti optima valetudine gaudentes operationem levem feliciter sustinuerunt, sed non

multo post loco operationi submisso aut pseudo-erysipelas, aut phlegmasia alba orta est, quae citissime prostrationem virium summam paucisque diebus mortem introduxit. Propterea Rust his in casibus exstirpationem semper dissuadet et haecce steatomata Noli me tangere appellat. Nec minus Rust observavit, homines variis corporis calamitatibus laborantes, hydrocele orta, subito aliis morbis liberari; hydrocele vero operatione radicali sanata semper eventum infaustum sese vidisse dicit. Prosperrimum sed rarissimum fuit, si ad alterum scroti latus incumberet hydrocele, pessimum sed frequentissimum, si hydrothorax aliusve morbus funestus in organo quodam remoto oreretur, quippe cui semper succubuit aegrotus, quam ob causam conditionibus supra traditis orta hydrocele non minus morbis Noli me tangere dictis adnumeranda est. His observationibus Rust medendi methodum illis in casibus adhibendam superstruit. Circumspecte aegrotos de morbi origine examinat, quos, si antea aegrotasse, morbo axorto autem optimam valetudinem recuperasse, aut curatam hydrocelen ad alterum latus incubuisse, comperit, aut si complures tumores praesertim cervicem dorsumve tenentes, peculiarem dyscrasiam corpori inesse, suspicionem movent, operationem radicalem dissuadet. Haec steatomata paucorum incommodorum causa, quae efficiant, tolerari et huiusce hydroceles dolores, tensione nimia scroti ortos, punctura instituta mitigari iubet, quod, quoties opus sit, iterandum, non operationem

radicalem suscipiendam censet. Persuasum enim habet, et hydrocelen, et steatomata, hoc modo orta, organa secretoria pathologica sive receptacula materiae morbosae, in corpore latentis, exhibere, quorum aditu praecluso, materia in alio organo deponatur. Haud mirari oportet, hoc incitamentum insuetum organismi totius reactionem elicere, morbumque gravem, imo lethalem efficere.

Haecce explicatio optime respondere videtur observationi primae a me propositae. Hydrocelen, puto, receptaculum pathologicum obtulisse, cuius aditus operatione radicali materiae morbosae praeclusus fuerit. Vulnus, dum suppurabat, fonticuli instar hydroceles fomitem derivabat, qui, cicatrice inducta, aliud receptaculum, nimirum cerebrum, sibi elegit, ibique sanguinis congestione, inflammatione atque exsudatione effecta, aegrum trucidavit.

Febris intermittens modo symptoma inflammationis, non morbum constituit, quamquam atrocitatis causa magis, quam inflammatio medici auxilio indigere videbatur. Praeterea iam dudum, febrem intermittentem menstruatione suppressa, ulceribus aliisque profluviis iusto citius sublatis oriri posse, constat; et in omnibus hisce casibus, sicut in casu a me tradito, febrem nonnisi symptoma inflammationis internae fuisse arbitror, impedito profluvio alicuius materiae excernendae, sive fuerit morbosa sive naturalis, v. c. sanguinis menstrui ortam.

Minime vero haec explicatio ad alterum tertium-

que casum applicari potest, quippe quibus per laesionem mechanicam novum organon secretorium pathologicum, vulnus scilicet suppurans, productum erat, cuius decursus citra causam occasionalem manifestam turbabatur. Me expediendo huic nodo imparem esse, libenter confiteor, nec hypothesin proferam, cum omnes medici consentiant, hypotheses non experientiae superstructas parvi tantum esse momenti. Sagacioribus potius medicis hoc dirimendum relinquam, fore, sperans, ut faustiorem eventum opera eorum sortiatur.

Quod febris intermittentis causam proximam attinet, theoriam Ill. Reich optimam iudico, quae, quamquam nimis singularis, sola super morbum a me descriptum lucis aliquid diffundit. Reich febrem intermittentem, ait, semper pulmonum inflammationis symptoma sistere, quam ob rem pneumoniam, pleuritidem, bronchitidem, phthisin pulmonalem et febrem intermittentem eundem esse morbum, persuasum habet, omnesque hos morbos in praelectionibus pathologicis una pertractat. Quam sententiam his argumentis firmat. 1.) Quavis in febre intermittente observamus respirationem plus minusve impeditam, praesertim inter paroxysmum tussim, haud raro dolores pectoris. 2.) Venaesectio methodusque antiphlogistica saepius iteratae secundum ipsius experientiam optima sunt remedia febris intermittentis. 3.) In omnibus febre intermittente mortuorum cadaveribus nonnulla inflammationis pulmonum vestigia inveniuntur, aut adhaesiones pleurae, aut maiores pneumoniae gradus.

imo exulcerationes. 4.) Iis, qui febre intermittente laboraverunt, praesertim qui cortice peruviano aut Chinino sulphurico curati sunt, semper maior minorve dyspnoeae gradus remanet saepissimeque morbus quidam pulmonum mortem postea inducit; sin alio morbo aut a causa fortuita moriuntur, tamen sectiones febris intermittentis reliquias, adhaesiones scilicet, indurationes, tubercula, aut hepatisationem etc. pulmonum commonstrant, quae dyspnoeae causam praebuerant. Ipse crustam inflammatoriam insignem observavi in sanguine misso hominis febre intermittente laborantis.

Hac theoria simplicissima, si confirmatur, omnes illae explicationes, quae, quamquam innumerae, tamen ambiguae, magis obfuscarunt quam illustraverunt indolem causamque proximam morbi, removentur febrique intermittenti tandem certus locus inter morborum ordines assignatur, quo maxime opus est, quum huc illuc iactari soleat.

Non omnibus tamen huius theoriae partibus adstipulari possum; tradit enim auctor, in nulla nisi in pulmonum inflammatione febrem intermittentem observari, quod primae observationi a me propositae repugnat, siquidem, pulmonibus statum fere naturalem obtinentibus, cerebro autem affecto, febris typus luculenter intermittens erat. Haec vero exceptio medendi rationem parum mutat, cum inflammatio alia adesset, inflammationesque omnes fere eandem curam postulent. Hepatis quaedam affectio inflamma-

toria in tribus casibus enarratis inventa et indurationes degenerationesque chronicae hepatis et lienis, quae saepe, febre intermittente sanata, remanent, alias etiam, quam pulmonum inflammationes efficere hanc febrem, non minus probare videntur. Reich quidem, secundarias modo, pneumonia iam praegressa, hepatitidem et lienitidem in indurationem abeuntes, oriri contendit, quod sectionibus fortasse explorandum est. Ita igitur Reichii sententiam de febre intermittente mutaverim, ut hunc morbum febrem inflammatoriam existimem, quae propter systematis nervosi affectionem induat characterem peculiarem, nimirum nervosum, cuiusque causa proxima inflammatio sit interna, plerumque pulmonum. Hac definitione recepta maxima ex parte febris intermittentis traumaticae indoles illustratur.

Mirari non oportet, inflammationem tantam et tam rapidam, quam in febre intermittente traumatica observamus, febris formam tam vehementis atque malignae referre; non enim dubito, quin febris intermittentis typus plus minusve malignus pendeat ab inflammationis gradu, cum haud dubie non febris, sed inflammatio eiusque exitus aegrotum consumant, exceptis forsitan illis exemplis, quibus inter paroxysmum aegrotus apoplexia extinguitur, ut in febre comatosa fieri solet; forsan vero inflammationis sedes tum cerebro inest, quod sectiones cadaverum edocere oportet.

Prognosis.

Si curandi methodo hucusque adhibita utimur, pessima apparet prognosis, cum nemo hoc morbo affectus mortem effugerit; nimis exiguus autem medendi methodorum numerus impedit, quominus praedictionem infaustam tanta cum evidentia auguremus, quanta nostri medici augurari solent. Certe febris intermittentis paroxysmi medicamentis supprimi possunt, quod luculenter ex observatione II. patet; cur autem, febre suppressa, peior putanda est prognosis, quam in alia inflammatione interna idiopathica? Maximum periculum in mora esse, constat, et quum stadium prodromorum non animadvertatur, medico ad morbum excultum demum arcessito, medicamentis heroicis uti licet, donec experentia, inutilia noxiave haec esse, nobis persuaserit. Certe quidem unum febris Chinino profligatae exemplum sperare non iubet, hunc eventum semper posse obtineri, siquidem typus febris intermittentis irregularis, praesertim si in remittentem imo duplicatum abeat, prognosin disturbat, in quo omnes, qui de febre intermittente scripserunt, consentiunt. Prognosin ergo maxime ambiguam, haud vero desperatam existimo.

Cura.

Cum in morbi aetiologia singularem explicandi modum secutus sim, curae methodum ei respondentem proponere, nec non maximam partem Ill. virorum

Rust et Reich sententiae adstipulari, itaque curam, quam theoria morbo consentaneam probat, commendare decet. Quum, observatis casibus tribus supra enarratis, antequam Reichii methodus mihi innotesceret, morbi indolem in inflammationem ponerem ideoque curam antiphlogisticam optimam censerem, gratissimum mihi fuit, tantum opinionis meae vindicem me obtinuisse, cuius quidem observationes non plane eandem morbi speciem nobis offerunt, maximam tamen partem cum ea comparari possunt.

I. Cura prophylactica.

Si organa secretoria pathologica sive receptacula cuiusdam morbosae materiae nobis exhibentur, quae pauca tantum incommoda aegroto causantur, noli me tangere ea nominemus, neque removeamus. Sin v. c. hydrocele per nimiam tunicarum scroti extensionem dolores intolerabiles, imo symptomata nervosa efficit, evacuatione fluidi per operationem palliativam, i. e. punctionem, levamen est inducendum, nunquam vero operatio radicalis administranda, quae viis ad receptaculum praeclusis, materiam alias sibi vias munire iubet. Similes quoque morbos, v. c. steatomata, quorum mentionem fecit Ill. Rust eundem quibusdam conditionibus morbum producere, censeo, quae, cum, nisi febrem intermittentem traumaticam, certe alios non minoris momenti morbos efficiant, nunquam exstirpatione removenda sunt, aut si exstirpentur, loco tumoris derivatio perpetua, sive fonticulis, sive setaceis instituatur. Cum febris intermit-

tens traumatica morbum inflammatorium sistat, et quaevis inflammatio calore provocari atque augeri, frigore vero caveri, mitigari, imo curari soleat, non dubito, quin unaquaque laesio gravior, ad hunc morbum efficiendum apta, frigore vulneris inflammationi febrique vulnerariae consentaneo, tractanda sit.

II. Cura morbi.

Systema nervorum solummodo hoc morbo esse affectum, hucusque crediderunt medici nosocomiis nostris praefecti, ideoque medicamenta nervina quam maxime excitantia imperarunt, quae, quod facile intelligitur, morbi cursum rapidiorem infaustioremque haud dubie reddunt; saepissime enim floribus Arnicae, radice Serpentariae, Valerianae, Aethereis atque Opio usi sunt. Semel tantum experimenti causa Chininum sulphuricum administratum est, quod quidem medicamentum admodum irritans, tamen per efficaciam specificam contra periodicos morbos febrem intermittentem sustulit; certe autem usus huius remedii diuturnior, febre suppressa, exitum lethalem accelerat. Nixus observationibus permultis, ab Ill. Reich factis, quae, omnes febres intermittentes methodo stricte antiphlogisticae cessisse, probant, huic quoque morbo illam medendi methodum adaptaverim. Ante omnia igitur, morbo exorto venaesectio larga administretur, ac si inflammationis focus innotuit, quam proxime ab organo affecto hirudines applicentur; haud minoris emolumenti erunt fomentationes frigidae, si fieri potest, glacie vel nivibus paratae, cubiculum aëri fri-

gido pateat, diaeta antiphlogistica sit. Praeterca emulsiones commendaverim refrigerantes, cum salibus neutris purgantibus, praesertim kali nitrico, ammonio muriatico, natro et kali sulphurico etc. Symptomata nervosa, si accedant, herba hyosciami vel extracto mitigentur, minime opio, quod in omnibus inflammationibus systematis arteriosi irritationem augere solet. Quod si ne venaesectionibus quidem iteratis febrem intermittentem supprimere licet, empiria chinini sulphurici usum imperat, qui, sublatis febris paroxysmis quam citissime suspendatur. Tanto maiore energia tum aggrediamur inflammationem, chinini usu forsan auctam, aut ad indurationem vel exsudationem opportunam, quae certo medicamentis supra laudatis nunc facilius cedet.

Mihi ita persuasum est de huius curae methodi efficacia, ut in quolibet casu mihi obvio eam adhibiturus, et experientia solummodo infausta convictus, quod minime metuendum mihi videtur, in contrarias partes abiturus sim. Experimentum certe licere, arbitror, cum priscae observationes methodum excitantem inutilem lethalemque iamiam docuerint. Quidni enim curam incertam quidem, necdum probatam, sed rationalem empiricae certoque lethiferae praeferre liceat, cum probe noverim, medicamemta hucusque adhibita solummodo esse imperata, quia medicum morbi, vel ignoti desperatique spectatorem esse otiosum, dedeceat.

Epilogus.

Quum hanc dissertatiunculam absolvissem, praeter opinionem nonnulla ad morbum supra descriptum et temere novum vel incognitum dictum, referenda in Ill. Graefii libro inveni, qui inscriptus est: Iahresbericht über das clinische chirurgisch-augenärztliche Institut der Universität Berlin, von 1825. Berlin, 1826. Hoc supplementum eapropter maximi est momenti, quoniam, hunc morbum non in nostris tantum nosocomiis, sed alibi quoque occurrere, probat, et cum chinini sulphurici efficaciam contra hunc morbum, confirmat, tum multo meliorem esse docet prognosin, quam equidem, observationes secutus, maxime ancipitem auguratus sum. Quum breviter tantum mentio huius febris in illis annalibus facta sit, Ill. Graefii verba*) subiiciam: Das schwefelsaure Chinin, auf dessen treffliche Wirkungen gegen verschiedene Krankheitszustände bereits im Bericht über das Jahr 1823 aufmerksam gemacht worden ist, zeigte sich in Verbindung mit Opium bei 4 Kranken gegen den heftigen Schüttelfrost heilsam, welcher nach schwehren Verwundungen oder Operationen nicht selten tödtlich endet. Es ist derselbe in manchen fällen als eine reine Nervenaffektion zu betrachten, welche die Form der Febris intermittens perniciosa, ohne aber irgend einen regelmässigen Typus zu hal-

*) v. Gräfe Jahresbericht etc. pag. 5.

ten, annimmt. Der Frost befällt den Kranken plötzlich, schüttelt ihn bei starkem Zähneklappern oder auch krampfhaft geschlossnem Kiefer, unter grosser Beängstigung und mannigfachen Trübungen des Bewusstseyns, heftig zusammen, währt $\frac{1}{4}$ bis $\frac{3}{4}$ Stunden und weicht bei günstiger Wendung einem mit vermehrter Wärme eintretenden reichlichen Schweissausbruche. Zuweilen wiederholen sich dergleichen Anfälle 2, ja 3 Mal in einem Tage, oder es kehren dieselben täglich, aber zu ganz unbestimmten Zeiten zurück. Je schneller sie einander folgen, je länger der Schüttelfrost währt, desto grösser ist die Gefahr, schon der 2te, 3te Anfall kann mit nervöser Apoplexie tödten. Unsre Kranken bekamen in der ersten Hälfte des ersten Tages alle Stunden 2 Gran Chininum sulphuricum mit $\frac{1}{4}$ Gran Opium, dann wurde das Mittel nur alle 2 Stunden, am 2ten Tage alle 4 Stunden und am 3ten alle 6 Stunden gereicht. Diese beträchtlichen Dosen, welche unter andern Umständen nachtheilige Nebenwirkungen herbeyführen, wurden von den fraglichen Patienten leicht vertragen. Ist der erwähnte Zufall nicht Symptom anderweitiger Krankheitsverhältnisse, erscheint derselbe rein nervös, so kann das erwähnte Verfahren als eine sichere Bekämpfungsart angesehen werden.

Haec meae repugnare videntur explicationi, morbi indolem in inflammatione cum complicatione nervosa cerni; verum sectiones cadaverum, quas instituere mihi licuit, nec non omnium, qui antea huic morbo in

nosocomio nostro succubuerant, sufficientia sistunt argumenta opinionis meae. Efficacia chinini sulphurici observatione II. iam probata, observationibus Ill. Graefii ad evidentiam confirmatur, nihilominus vero chininum nonnisi medicamentum empiricum vocandum censeo, donec plane innotuerit modus quo sanationem efficiat. Inflammatio, si chinino coercetur, nonnisi violenter supprimi, exitusque minus periculosus, praesertim induratio provocari mihi videntur. Non raro contingit, ut inflammationes v. c. organorum glandulosorum hoc modo sanentur et, adstringentibus adhibitis, in indurationem abeant. Alia rei ratio est, si talis exitus morbo tam atroci concilietur, qui, nisi quam citissime supprimatur, rapidissime ad mortem properat. Tum e duobus malis eligendum est minus, quia vitae periculum imminet.

Insigni Ill. Graefii favore occasio mihi oblata est, historiam nuperrimi huius generis exempli e diario instituti clinici chirurgico-ophthalmiatrici desumendi; cuius brevem adumbrationem dissertationi meae subiungo.

Vir triginta quinque annorum instituti auxilium imploravit ob degenerationem carcinomatosam, quae dimidiam penis partem devastaverat et in suppurationem malignam abierat. Dolores inflammatorii curam localem quoque poposcerunt, praecipue, quod glandulae inguinales simul intumescere coeperant. Eam ob causam hirudines, inunctiones unguenti cinerei et fomenta, e herba Cicutae parata, intrinsecus vero Bella-

donna adhibebantur. Symptomata quaedam gastrica viresque in dies magis decrescentes, totum organismum affectum esse, commonstrarunt. Omnibus complicationibus sublatis pars carcinomatosa penis per ligaturam semovebatur. Sequenti quatriduo nullatenus valetudo turbabatur; inter quartam vero noctem horror vehemens conquassans, ter quartam horae partem occupans, aegrotum invasit et in sudorem abiit. Hora matutina nil nisi pulsus parvus et facies pallida observabantur, cum autem similis paroxysmus metueretur, haec imperata sunt:

Rc. Chinin. sulph. gr. sedecim
Opii puri gr. unum
Sacchar. alb. drachm. unam et dimidiam
M. F. pulv. div. in part. aequal. No. VIII.
D. S. singulis horis pulvis sumatur.

Sex horis a primo paroxysmo elapsis, novus apparuit insultus, horror priori vehementior horam tenuit et facies Hippocratica fuit. Opii granum dimidium inter horrorem exhibitum est, ut apoplexia nervosa caveretur. Duas per horas somnus sudorque exstiterunt, quibus elapsis iidem pulveres iterati sunt. Circa horam sextam tertius paroxysmus levior quartam horae partem tenuit, quem sudor levis secutus est. Pulsus arteriarum antea parvi, quorum centum et quadraginta inter sexagesimam horae partem numerata erant, pleniores tardioresque fuerunt, cutis humida temperie normali excelluit. Per noctem singulis horis duo grana chinini sine opio, praeterea infusum

radicis Valerianae et Menthae crispae, deinde, quum somno placido aegrotus degisset noctem, alternis modo horis granum chinini est propinatum. Paulatim omnia symptomata febrilia disparebant viresque reficiebantur. Vulnus usu externo unguenti Elemi et pulveris corticis Chinae indolem puram benignamque obtinebat. Aegroto solutio ammonii muriatici imperabatur. Quarta die ab ultimo paroxysmo dolores inflammatorii inguinis sinistri orti sunt, totumque huius lateris femur intumuit, quam ob causam hirudines regioni inguinali applicatae sunt. Symptomata febrilia denuo exorta infuso radicis Caryophyllatae et radicis Calami aromatici cum mixtura sulphurico-acida cesserunt. Aegrotus, valetudine perfecta recuperata institutum clinicum reliquit, sed post aliquod tempus domi periit. Num febris recideret, utrum dyscrasia carcinomatosa aliud sibi legerit organum, an denique alius morbus exitum attulerit, ignoro.

Hic casus, quod causam proximam attinet, cum observatione prima, supra enarrata comparandus mihi videtur, cum, ligato pene, organon secretorium pathologicum semoveretur, quod longo tempore in organismi consuetudinem adductum erat, materiamque morbosam dyscrasiae carcinomatosae derivaverat. Febrem intermittentem (hoc in casu quotidianam quadruplicem) eodem tempore ortam esse puto, quo inflammatio specifica ad alind [organum per metastasin sit translata. Prognosis eo pejor erat, quum inflammatione specifica, imo carcinomatosa vel nullum vel palliativum

modo auxilium affulgeret. Usu chinini pariter, ac in exemplo II., a me observato, febris intermittens suppressa erat; sed medicamentum illud inflammationis cursum retardasse vitamque per aliquod tempus prorogasse videtur. Maximi igitur haec morbi historia est momenti quoad prognosin curamque, plus tamen fructus suppeditasset, si de postera aegroti valetudine, de causa mortis praecipueque de sectione cadaveris quaedam notata essent; haud enim dubito, quin hoc quoque in casu mors priori a morbo pependerit, et materia carcinomatosa, bis a sede sua depulsa, in alio organo interno deposita sit mortemque induxerit. Praeterea alios aegrotos, quorum mentio facta est in annalibus supra laudatis valetudinem perfectam recuperasse, mihi relatum est. Ipsas morbi historias ut obtinerem, proh dolor! non contigit.

VITAE CURRICULUM
EX DECRETO GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS BEROLINENSIS ADIECTUM.

Ego Carolus Adolphus Otth, ecclesiae evangelico-reformatae adscriptus, natus sum Bernae Helvetiorum die II. mens. Aprilis A. MDCCCIII patre optimo Carolo Otth, Bernate, matre dilectissima e gente Wiedemanniana Brunswicensi. Primis litterarum rudimentis imbutus in Gymnasio Bernensi, per annum in academia litteraria Bernensi nonnullis lectionibus philosophicis interfui, quibus peractis A. MDCCCXXI. Genevam me contuli, ut ad studium praedilectum historiae naturalis, praesertim botanices incumberem. In academia lit-

teraria ibi florente celeberrimorum virorum institutionibus gavisus sum: Perill. De Candolle de zoologia, Ill. De Candolle, De la Rive, Boissier, De Luc de singulis zoologiae partibus, Clar. Seringe privatim de botanice, nec minus favore auspiciisque Perill. De Candolle in eius bibliotheca et herbario rei herbariae studio operam impendi, cuius fructum, generis Silene monographiam praeceptor indulgens in prodromum systematis naturalis regni vegetabilis, quem paulo post edidit, recipere non abnuit. Bernam reversus A. MDCCCXXII in huius urbis academia litteraria primas scholas medicas adii; ac hisce clarissimorum virorum lectionibus interfui: Cel. Meissner de historia naturali, Cel. Beck de Chemia, Cel. Trechsel de physice et geographia physica, Cel. Brunner de Chemia et de pharmacia, Cel. Ith de physiologia, nec minus de pathologia et therapia generali, Clar. Herrmann de anatomia, quo duce etiam exercitationibus in dissecandis cadaveribus interfui, Cel. Emmert de anatomia, chirurgia generali et speciali, de arte obstetricia, neque ab exercitationibus clinicis in instituto obstetricio Bernensi abfui, Clar. Tribolet jun. de medicina forensi, Cel. Tribolet sen. de materia medica practica, de pathologia et therapia speciali, eiusdem lectiones clinicas medicas in nosocomio Insula dicto et in eodem nosocomio Clar. Isenschmidt lectiones clinicas chirurgicas frequentavi.

A. MDCCCXXV. Kiliam Holsatorum profectus sum, ubi Rectore Magnifico, Ill. Wiedemann in universitatis regiae Christianae Albertinae civitatem receptus, virorum Illustrissimorum scholis usus sum: Ill. atque Dilect. Wiedemann lectionibus de historia naturali, de arte obstetricia, nec minus eius exercitationibus clinicis obstetriciis in Xenodochio regio obstetricio interfui, perinde ac Cel. Lueders de pathologia et therapia speciali, de materia medica practica et lectionibus clinicis medicis in nosocomio Kiliensi, Ill. Fischer de chirurgia, Ill. Pfaff de physice experimentali, Clar. et amic. Mi-

chaëlis privatim exercitationibus obstetriciis in machina. Quamquam breve tantum per tempus Hafniae moratus sum, tamen favore et benevolentia Ill. professorum nosocomia varia frequentare mihi licuit. auspiciis Ill. Wendt nosocomium Allmindelig-Hospital dictum et nosocomium militare, Ill. Bang nosocomium Fridericianum, Ill. Saxtorph institutum Lucinae sacratum, Foedselstift dictum. Hamburgi gratioso favore Cel. Fricke nosocomium novum ibi florens nonnullas per septimanas frequentare haud desii.

Absoluto hoc studiorum ordine Musarum sedem, Berolinum petii, ubi d. XXI. mens. Octobris A. MDCCCXXVI. ab Ill Boekh, Rectore Magnifico, civium Universitatis regiae numero adscriptus, tribus semestribus hasce Perillustrium virorum lectiones frequentavi. Ill. Link de cryptophytis, Ill. Horn de morbis syphiliticis et de mentis alienationibus, Ill. F. Hufeland de semiologia audivi. Perill. C. G. Hufeland exercitationes policlinicas medicas in instituto regio policlinico, quas cum Cel. Osann et Busse moderat, Cel. Neumann exercitationes clinicas medicas in nosocomio Caritatis et in eodem nosocomio Ill. Rust lectiones clinicas chirurgicas et ophthalmiatricas frequentavi. Ill. de Graefe exercitationes clinicas chirurgicas et ophthalmiatricas in instituto clinico chirurgico, nec minus Ill. de Siebold exercitationes clinicas obstetricias in instituto regio Lucinae sacro adii. Ill. Rudolphi scholas de helminthologia et de anatomia pathologica, Ill. Rust et Kluge de akiurgia et eorum exercitationes akiurgicas in cadaveribus. Cel. Jüngken de ophthalmologia et Generos. A. de Humboldt de geographia physica frequentavi.

Tentamine et examine rigoroso rite superatis spero, fore, ut, dissertatione thesibusque defensis, summi in medicina et chirurgia honores mihi impertiantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Membranae serosae inflammatione affici nequeunt.

II.

In amputatione artuum ligatura arteriarum superflua est.

III.

Inflammatio non abit in scirrhum.